



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Constantia Exulum. Ibidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Cur tam
pauci recog-
niti.

ac studiorum viri probatissimi, ab vnius Angliæ cura, ad quam subleuandam maximè videri potuissent idonei, superiori diuinæ Prouidentiaë consilio hæcenus liberabantur; in alijs regionibus virtutis & scientiæ laudibus claruere. Nam cum ab anno quo Sanctus Pater noster *Ignatius* ex his miseris ad Beatorum cætum assumptus est, ad annum vsque octogesimum, sexaginta nouem Angli numerentur in Societatem adscripti, nemo vnus ad Angliæ labores, ad præclara in alijs Prouincijs munera destinati sunt vniuersi, eo quo, in paucis, euentu explicatum est; neque enim omnium extat memoria; quorundam tantum patria cum prænomine memoratur; vti *Thomas Anglus* Laureti, *Dauid Anglus* Florentiæ; Alter *Thomas Anglus* minor Laureti; *Richardus Anglus* mortuus Laureti decimo quinto Nouembris anni septuagesimi quarti; *Vincentius Powell* Ingolstadtij, *Georgius Ware* Diocesis Rocestrensis Pragæ, Anno Octogesimo secundo: *Georgius Morbred* suslexiensis Tolosæ; Pater *Thomas Anglus* mortuus Parisijs vigesimo septimo Septembris anni octogesimi tertij; Pater *Richardus Anglus* ibidem in Maijo anni octogesimi septimi. Plurimorum ætate, studiis, & gradu recitatis, reliqua tacentur, vel quoniam nondum in eam formam scribendi de singulis, quæ nunc vsurpatur, venerat ipsa Societas; vel quia mutatis sæpius Regionibus atque Collegijs, vnius inter multos colligi acta non poterant; vel denique quoniam posterioribus etiam ænis difficultate temporu præpediri, vel perire fusiores narrationes necesse fuit: vt mirari potius lector debeat potuisse cuiusquam diligentiam tot annorum tenebris lucem aliquam afferre, quàm lucis parum allatum esse conqueri.

Hæc lux
Nathanach
Secretario
& Edmundo
Neuillo
debetur.

constantia
exulum.

Paucorum tamen, quos commemoravi, res gestæ (pauciora licet meritis commemorata sint) & Societatis vniuersæ in eius Insulæ homines caritatem, & ipsorum met virtutem singularem luculenter ostendunt. Quanta enim in fide, atque in *Dei & Sanctæ Sedis* veneratione, & quam magna fuerit eorum constantia, ipsa carissimæ Patriæ fuga demonstrat; neque enim deerant quæ præstantes ingenio, opibus etiam & doctrinâ locupletes viros remorarentur, siue Academiarum splendorem, in quibus se iactabant, siue spem ad quam fouebantur consideres. Tum si vnum illud demeres de regia in spiritualia potestate (quo vno in articulo totus per Angliam Clerus vacillarat) & à precibus publicis non abhorreret (quas ex latino versas habebant cum Catholicis penè communes) de cæteris, his in principiis, quid sentiret quidue ageret in medio erat. At hi inuicta quadam magnitudine animi, spe atque re contemptâ, abiectâ, proculcatâ, maris fluctibus, longinquis arduisque itineribus, Alpium etiam asperitate superata, quam summo in terris *Christi Vicario*, atque ipsi Christo, debebant obedientiam, cunctis quibus domi deliniri potuerant oblectamentis prætulere: Tum arctioris etiam disciplinæ normam secuti, non solum ex orthodoxæ fidei arce firmissimâ veritates inconcussas delibandas censuere; sed ad summum Christianæ perfectionis apicem contendentes, & doctrinam reconditam virtuti firmiori copulantes, eo se promptiores aptioresque ad vtramque in miserissimam patriam refundendam præstitere, quo
fidei

fidei limpidiſſima dogmata, per integræ vitæ canales decurrentia, & hauriuntur iucundius, & in mentes hominum potentius influunt.

XXXIII. Quod verò vtriuſq; quos collegerant diuites theſauros in cariſſimos Ciues ſuos errogare datum non ſit, id inacceſſis Dei conſiliis tribuendum, qui vt olim totius orbis lucem optatiſſimam, miſſo de ſummo cælo filio ſuo vnigenito Chriſto *Ieſu* Domino noſtro; in infidelitatis & nequitie tenebras non prius intulit, quam illæ eſſent denſiſſimæ; ita noſtris in Angliam reditum aperiri noluit, donec poſt viginti annos quos Elizabetha regnauerat, remedij iam nulla forma affulgeret: Nam neque Principum externorum ſeu preces ſeu cohortationes, neq; ipſe cum Catholico nuptiarum, neq; Pij Pontificis minæ, quidquam apud impatientem iugi feminam valere: Iam illa non legibus ſolum, ſed ferro & ſanguine impium Schiſma tuebatur: Nihil tutum Catholicis, nè profundiffimæ noctis horæ: Inuolabatur in ædes nocte concubia, effringebantur conclauia, parietes lacerabantur, effodiebantur ruina: tum ſi locum aliquem precibus aptum, ſi quam ſuppellectilem ſacriorem, ſi in ſacerdotem latentem fortuito incidiffent, id violatæ, ſcilicet, Maieſtatis ſignum lucidiſſimum, id poteſtatis contemptæ fædiſſimum crimen erat, non omni ignominia, non ipſâ morte eluendum. Itaq; ſicut qui æger decumbit paruis obuijſq; primùm remedijs arcere conatur corporis morbum, at ingraueſcente malo plures peritioréſq; accerſit medicos; & graſſante incendio non domeſticæ ſolum, ſed procul è vicinia aduocantur adiutrices manus, ita corroboranti ſe hæreſi robuſtiora tela obicienda diſpoſuit diuina ſapientia, & quæ aliò auerſa erant arma huc voluit reuocari

XXXIV. Quam verò caritatem annis viginti quinq; ab obitu Sancti Patris in ſingulos effuderat Societas, eam vniuerſæ Inſulæ ſeruafſe dicenda eſt: Nam niſi illis temporibus, quibus nondum patebat in Angliam ianua, ſinum ſuum admittendis compluribus aperuiſſet, vbi *Campianos* vbi *Perſonios* & *Garnettos*, & *VValpols*, ceteróſque laureâ Martyrij decoros Athletas haberemus, cum iam Oceanus diuinæ miſericordiæ ponte ſterneretur? Potens eſt Deus ex lapidibus vbique obuiis, *ſuſcitare filios Abrahæ*; atque momento temporis *plusquam duodecim legiones Angelorum* mittere ad Corpus ſuum, hoc eſt, Eccleſiam protegendam, atque è quorumcunq; armatorum manibus eruendam; ſed multorum vult precibus, quam molitur cauſam, primùm agi, multorum voluntates experiri, quæ effectum licet non conſequantur, quem enixiſſimè optant, nõ carent præmio. Moyses & Aaron per annos quadraginta in deſerto cum populo Iſraëlitico ductores doctoresq; fuiſſent à Deo conſtituti, in optatam nihilominus promiſſionis terram lacte fluentem & melle non peruenierunt ipſi, neque quod in votis erat maximè, licuit plebem quam hætenus quaſi in vlnis portauerant, in illa paſcuæ loca & aquas refectionis deducere quæ fidelibus famulis ſuis parauerat Deus: Iofuè Miniſtro Moysiſ is datus eſt honos. Ex octo fratribus Bethleemitis minor *Dauid* eligitur, qui in ſuperbo Gigante totum Philiftiaorum fundat exercitum, maioribus

Cur non miſſi in Angliam.

Caritas Societatis in Angliam.

Matthæi 3. 9 26. 53.

Deut. 34. Iofue 1.

1. Reg. 17.